



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput III. Pertractatur de Lege æterna, à qua omnes aliæ derivantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

& coercendas, ut Lyranus, Menochius, Eſtius, alique docti Interpretes obſervant. Eadem eſt reſponſio S. P. Auguſtini de Grat. Ch. cap. 8. Nonnulli particulam *propter* accipiunt, quaſi hoc loco ſignificet non finalem cauſam, ſed eventum, acſi diceretur, poſita lege ſecuta ſunt tranſgreſſiones: proferuntque hujus ſignificationis exempla ex Adelphis & Eunuchis Terentii, ex Cicerone in Catilinam, & aliis Latinis Scriptoribus probatiſſimis. Sed non opus eſt, ut ad Grammaticos Rhetoresque conſugias, dicente eodem Apoſtolo in ſeq. cap. v. 23. de probis ac temperatis, *Adverſus hujusmodi non eſt lex*; nimirum ſunt juſti immunes à pœna & coercionibus, quibus ex adverſo obnoxii ſunt legum contrafactores. Ex quibus facile exponitur ſimilis locus ad Timoth. 1. cap. 1. v. 9. *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*: quoniam juſtus ſponte ſe legi conformat, & lubens juſticiam apprehendit, *non tanquam per*

pædagogum terrentem & ſuadentem, inquit S. P. Aug. de Spiritu & lit. cap. x. Idem ſenſus eſt alterius teſtimonii. Quos enim Spiritus ducit, & charitas trahit, non ſunt ſub lege premente, & vindicante, ſed præcepta legis faciunt animo alacri & libentiſſimo. *Sub lege eſt enim* (inquit Aug. de Nat. & Grat. cap. 57.) *qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiae, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati*; & infra: *Ergo ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege: utique lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem*. Eadem reſponſione eliditur quod depromptum eſt ex Decretis.

His communia ſingulis legibus complexi ſumus. Quod ad legum attinet promulgationem loco opportuniore diſcutiendum eſt: nam lex naturalis inſcripta omnium cordi nulla promulgatione indiget. Ad ſingulas ergo leges in particulari examinandas ſtylum, animumque convertimus.

C A P U T III.

Pertractatur de Lege æterna, à qua omnes aliæ derivantur.

S U M M A R I U M.

1. Definitio legis æternæ.
2. Legis æternæ binæ analogiæ.
3. Lex æterna non eſt idea exiſtens in mente Dei.

4. Lex æterna omnium aliarum cauſa.
5. Oppoſitio cum ſolutione.
6. Legi æternæ omnia creata ſubjecta ſunt.
7. Objectiones cum ſolutione.

I. **P**RÆCELLIT itaque leges omnes Æterna. Hanc definit S. P. Auguſtinus libro adverſus Fauſtum XXII. cap. 27. *Lex æterna eſt ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Et in primo de lib. arb. cap. 6. *Ut breviter* (inquit) *æternæ legis notionem quantum valeo verbis explicem, ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*. Æternam hanc legem abſque ullo fidei lumine etiam Ethnici Scriptores aſſecuti fuerunt. Cryſpius lib. 1. de Finibus, Hecato lib. 6. Manlius, cujus extant in priori de Aſtronomia libro hi verſus.

Hoc opus immenſi conſtructum Corpore mundi

Membraque naturæ diverſæ condita formæ

Aeris, atque Ignis, Terræ, Pelagique jacentis

Vis animæ Divina regit, ſacroque meatu Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Occurrunt ſimilia in IV. Georgicon, & in 6. Æneidon Virgilio, collecta in Apparatu Jur. Canon. ab Emanuele Gonzalez. Videntur autem hi poætæ operam dediſſe Platoniciæ philoſophiæ, juxta quam, ut reſert Plutarchus lib. 1. de Placitis Philoſoph. *Θεός ἐστὶ νόμος τοῦ κόσμου, Deus eſt intelligentia & anima mundi*. Præclare Tullius in ſecundo de Legibus. *Hanc video ſapientiſſimorum hominum eſſe ſententiam, Legem nec hominum ingeniis excogitatam, nec ſciturum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regit imperandi, prohibendique ſapientiâ*.

Æterna Lex ita expoſita duas habet 2. quaſi ἀναλογίας, ſive ſimilares rationes, Legis æternæ binæ analogiæ. unam reſpectu irrationalium creaturarum, & alteram reſpectu hominum & angelorum. Et comparete quidem ad res creatas ſenſu & ratione carentes, quemadmodum in his eſt quadam obedientia improprie dicta, rei ſcilicet arbitrio carentis ſuo; ita lex latè & metaphorice appellatur ipſe ordo perpetuæ gubernationis. Quod vero ad rationales

les pertinet, propriam habet rationem legis, eique vera obedientia respondet, videlicet obtemperatio animi libertatem suam retinens. Satis præterea constat hanc legem dici æternam, non ex parte rerum agendarum, sed ipsius Dei cuncta ab æterno disponentis & ordinantis, eo ferme pacto, quo sempiternam dicimus prædestinationem, providentiam, voluntatemque Divinam. Quamobrem necesse non fuit, ut lex ista promulgaretur ab æterno, sed hoc tantum, ut institueretur vim habitura in rerum creaturarum conditione. Ex parte tamen Dei promulgatam ab æterno in Scriptura libri vitæ, & in Verbo Divino, docet 1. 2. q. 91. art. 1. ad 2. Doctor Angelicus: quod alii rejiciunt, propterea quod generatio æterni Verbi per se ad constituendam legem non requiratur, alioquin (ait Vasquesius) *solus Pater promulgasset hanc legem*. Sed puto hanc esse inutilem logomachiam. Enimvero si cum D. Thoma distinguamus in promulgatione intimationem ipsam factam verbo, vel scripto, à noticia & audientia auditorum, non video cur Eximii Doctoris responsio sophistice impugnetur. Nos autem qui promulgationem nihil aliud intelligimus, nisi paratæ jam legis propositionem & publicationem, æternam legem institutam dicimus ante tempora sæcularia, promulgatam vero in temporum conditione.

3.
Lex æterna
non est idea
existens in
mente Dei,

His constitutis locum non habent plura, quæ ab antiquioribus Scholasticis disputantur, veluti num lex æterna sit idea rerum existens in mente Dei: quod contra communio rem sententiam tutatur idem Vasquez. Nos quippe ideam ad perceptionem mentis, legem ad voluntatis decreta referimus, neque aliam inter hæc ponimus distinctionem, nisi connotatorum. Ipsa ergo natura Dei, quatenus omnium rerum rationes exhibet, est idea: quatenus præscribit rerum universalium ordinem & mensuram, est lex æterna. Ex quibus apparet opinionem Vasquesii etiam falsam esse in sententia Thomistarum: qui referunt quidem Legem ad opus intellectionis, sed cum Doct. Angelico q. 93. art. 1. tenent ideas respicere proprias naturas singularum rerum, leges vero singulas ad commune bonum Dei sapientia dirigunt. Atque hinc est, quod ideas ratione objectorum multiplicant, & legem æternam unam duntaxat constituunt. Similiter docent providentiam in hoc differre à lege, quod illa singulas res in partes distribuit, & nihil jubet, aut vetat; & lex refertur ad unum rectissi-

mumque ordinem universorum, quem perturbari non sinit. Verum si dixeris Deum optimum maximum *inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis legibus admirandæ dispensationis ornare*, & si providentiam dixeris *legem in distributione temporum datam*, id nullatenus improbo, sed excipiam Augustiniana verba ex lib. de Cathéchiz. rudib. & X. de Civit. Dei cap. 15. absque ulla contradictione. Quippe & legem, & providentiam & ideam, & si quid aliud Divinum dicimus, aut cogitamus unam summam rem esse sine ulla hæsitacione profiteor.

Remanet inquirendum an lex æterna omnium aliarum sit causa, illique Creaturæ omnes subiciantur. Quantum ad priorem quæstionis partem respondemus affirmative, ducti auctoritate Sanctorum, Philosophorum consensu, & lumine ipso rationis. Accipe dicta Patrum. Augustinus Tract. 6. in Joan. inquit: *Ipsa jura humana per Imperatores & reges Deus distribuit generi humano*: & in 1. de lib. arbitrio cap. 6. *nihil est in temporalis lege justum, quod ab æterna non derivetur*. Idem docet de vera Religione cap. 32. lib. 14. de Trinitate cap. 15. & quæstione super Exodum septima ac sexagesima. Tertullianus in suo Apologetico his verbis Gentiles compellat: *Scitis ipsas quoque leges vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de Divina lege, ut antiquioris forma mutuatas*. Teneas modo testimonium Tullii scribentis in 2. Philipp. *Lex nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tractata ratio*. S. Clemens Alexandrinus probatid fuisse omnibus exploratum lib. 1. Strom. ex Ethnicorum fabulis: quæ narrant Minorem ad Jovis antrum venientem per novem annorum circulum, leges ab ipso Jove accepisse, Lycurgum pariter ab Apolline, quem frequenter adibat apud Delphos; Zeleucum Locrorum leges accepisse à Minerva Plato & Aristoteles litterarum monumentis mandarunt. Scriptum est autem alibi, Gentilium numina à Cacodæmone fuisse conficta ad æmulationem veræ divinitatis. Ratio autem hoc idem suadet. Primum quia à prima Causa omnia moventur, & ab una arte procedunt omnes aliæ, auctore ipso Aristotele 1. Eth. Igitur etiam suprema æternaque Lex est cæterarum omnium fons & origo. Deinde omnia quæ sunt per participationem proficiuntur ab eo quod est per essentiam, quemadmodum humana ratio quæ est participatio Divini luminis, & humana potestas quæ est participatio Divinæ auctoritatis, sunt à lumine & potestate supremi Numinis.

Cum

Cum ergo lex æterna ſit talis ſeſe atque naturâ ſuâ, oportet, ut ſit cauſa & fons cæterarum. Præterea neceſſum eſt, ut diximus, quamlibet legem eſſe juſtam. Juſtitia autem, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, mala prohibet, & recta imperat. At omne malum æterna lege prohibitum eſt, omne bonum ipſa æterna lege intentum eſt. Quælibet ergo lex aliquid aut prohibens, aut imperans ab Æterna dimanat.

ſ.
Oppoſitio
cum ſolu-
tione.

Nec urget quod ſolet opponi legem æternam eſſe immutabilem, & obſtringere ſubditos jure Divino, quæ duo non conveniunt humanæ legi. Utenim prima Cauſa eſt independens, & habet modum operandi longe diverſum à cauſis ſecundis, & tamen iſta ab illa prima Cauſa vim ſuam effectricem naturamque participant: ita lex æterna eſt ſumme invariabilis neque poteſtate aliqua diſſolvi poteſt, & nihilominus ab ea trahuntur leges ſingulæ, quas ſæpenumero contingit mutari. Cujus rei hæc idonea ratio proferitur: quod prima Cauſa efficit in aliis vim agendi, actionem ipſam, & modum actionis, ut hæc neceſſario operetur, hæc contingenter, pro uniufcuſque cauſæ natura. Ita lex æterna cæteras enititur, ut quælibet obliget juxta dignitatem ac naturam ſuam, videlicet lex naturalis jure naturali, & lex humana jure humano. Exemplum aliud aſſert Auguſtinus de Vera Religione cap. 17. loquens de lege veteri & nova, quæ cum ſint ab uno Deo, non iisdem tamen præceptis, neque eodem tempore vigerunt. *Poteſt (inquit) qui hoc putat perturbari, ſi unus medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam ſalutem. Ut enim ars medicinæ cum eadem manet, neque ullo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita Divina providentia cum ſit ipſa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie ſubvenit, & pro diverſitate morborum alii alia jubet aut vetat, ut à vitio unde mors incipit, & ab ipſa morte naturam ſuam ad eſſentiam, ex qua deſciunt, ideſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet. Sed dicis mihi, Quare deſciunt? Quia mutabilia ſunt. Quare mutabilia ſunt? Quia non ſumme ſunt. Quare non ſumme ſunt? Quia inferiora ſunt eo, à quo facta ſunt.* Hæc igitur viciffitudo & infirmitas creaturarum poſtulat diverſa præcepta modo leviora, modo rigidiora, omniumque ab una lege incommutabili præſcribuntur.

R. P. Bertz Theol. Tom. IV.

Huic æternæ legi ſubjecta eſſe omnia creata, tam neceſſaria, quam contingentia, res eſt omnibus maniſeſtiſſima. Audiatur Auguſtinus hæc de ſummo Numine ſcribens in magno Opere de Civ. Dei cap. xi. libri quinti: *Qui dedit carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis ſecunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem, concordiam; qui & animæ irrationali dedit memoriam, ſenſum, appetitum, rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non ſolum cælum & terram, nec ſolum angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia, & quadam veluti pace derelinquit, nullo modo credendus regna hominum, eorumque dominationes & ſervitutes à ſuæ providentiæ legibus alienas voluiſſe.* Legatur & caput viii. Proverb. à verſu 27. ad 32. & Matthæi vi. iisdem numeris. Revera creaturæ aut naturali quadam neceſſitate operantur, aut contingenter. Si neceſſitate, connectuntur cum effectis ſtata firmiſſimæque Divina diſpoſitione: atque ut Auguſtinus aſſebat lib. xix. ejusdem Operis cap. 12. *Nihil à legibus ſummi creatoris ordinatoſque ſubtrahitur, à quo pax univerſitatis adminiſtratur.* Contingentia rurfus aut naturalia ſunt, aut libera. Si naturalia, nutu divinaque ordinatione reguntur: nam, ut inquit Pf. 148. 8. *Regius vates: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procelſurum, quæ faciunt verbum ejus, & Evangeliſta cap. viii. 27. venti, & mare obediunt ei.* Si autem agentia libera ſunt, iſta quidem aut bene agunt aut male. Bona ſunt à Deo dirigente ac movente: mala ſunt à Deo permitte. *Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inviſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula aut jubetur, aut permittatur, ſecundum inefſabilem juſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.* Ita Auguſtinus in ſententiis collectis à Proſpero num. 58.

Objecta quædam à ratione petita, quod contingentibus lex intimari non poſſit, quod careant libertate ac ratione, arbitror eſſe prætermittenda. Dixi enim ſupra æternam legem diverſam habere erga res productas analogiam, & reſpectu irrationalium requirendam non eſſe intimationem, aut obedientiam propriè dictam. Sunt tamen

6.
Legi æternæ
omnia crea-
ta ſubjecta
ſunt.

7.
Objectiones
cum ſolu-
tione.

B

e

è Scholasticis, qui reponunt his quoque creaturis intimari legem per formam eis inditam, per quam Creatorem suum quodammodo sentiunt, & illi obtemperant. Cætera deprompta ex rebus adversis, quibus probi viri plerumque jactantur, ex infortuniis, ostentis, even-

tibusque fortuitis, quæ non videntur à Divina lege ordinati, quoniam opponi solent ab incredulis adversus Divini Numinis existentiam, atque providentissimam universitatis administrationem, in prima horum librorum Parte fuerunt discussa.

CAPUT IV.

Disputatur de Jure naturæ primario, & primo quæritur quid sit, an sit, & quibus præceptis constet lex naturalis?

SUMMARIUM.

1. De lege naturali Propositio 1.
2. Explanatio Definitionis.
3. & 4. Explanatio ulterior.
5. Propositio 2. Probatur existere legem naturalem.
6. Argumentum singulare legis naturalis, est conscientia.

7. & 8. Propositio 3. Probatur.
9. Dilectio Dei & proximi nituntur prænotionibus lumine naturæ notis.
10. Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ.

De lege naturali.

PROXIME sequitur, ut pertractet dissertatio nostra de naturali lege spectante ad constitutionem rationabilium; cujus naturam valde affinem esse legi æternæ, & unam nihil aliud esse, quam alterius transcriptionem, ex priori capite, atque ex subjectis thesibus comprobatur.

1. PROPOSITIO I. Lex naturalis est ipsius æternæ legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis Divinæ facta transcriptio.

2. **Explanatio definitionis.** Hæc definitio traditur ab Augustino lib. 83. QQ. q. 53. eamque brevi explanabo. Dicitur *transcriptio æternæ legis*; quoniam nullam vim habere potest creata natura, quæ ipsi ab auctore sempiternæ legis non imprimatur. Atque secundum hæc priora verba legem naturalem etiam bruta animalia & creaturæ omnes sibi habent insertam. Hinc Plutarchus in Camillo: *Lex (inquit) est natura, cujus & bestia sunt participes*. Libanius Declam. 44. *Reverentur & feræ naturam*. Et quidem bruta amoris alicujus, & æquitatis legem tenere commonstrat Demosthenes in Olynthiacis ex cultu parentum etiam bestiis naturaliter indito: & Cicero in Tusculanis ex cura, quæ feræ pro suis partibus ita rostro, & ungue pugnant, ut vulnera excipiant, nullosque impetus reformident. Animadvertit in his Casiodorus etiam ingeneratum desiderium adulteria vindicandi. De hac lege cecinit Maro in Georgicis:

*Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque
Et genus equorum, pecudes, pictaque volucres
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.*

Quæ tamen cum analogia dicta esse, supra præmonui.

In consequentibus verbis exponitur lex naturæ, ut obstringit homines ratione præditos: quos à Deo lumen rationis, & recte operandi regulam participare, nemo, nisi ratione destitutus sit, in dubium vertit. Nam, ut Augustinus scribit serm. 2. de Verbis Domini: *Quis legem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Sitam vero naturalem legem in participatione rationis, & interiori quadam intimatione, quæ ut verbis utar Damasceni lib. 4. de Fide cap. 23. conscientiam nostram pertrahit & vellicat, scribit eleganter Marcus Tullius in 1. de Legibus his verbis: *Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est*. Ita Maximus Martyr Tom. 5. Bibl. PP. ait: *Lex naturæ est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem*. Similia docent Ambrosius Epistola 70. & D. Thomas 1. 2. q. 94. art. 1. & seqq.

4. **Explanatio.** Apposite autem additum est hanc rationem Divinam à creatura participatam esse *incommutabilem*, cum eadem sit in omnibus, exhibeatque unam summam, & intimam regulam honestatis in singulis hominibus, quantumvis aut educatione, aut locorum, temporum, & morum distantia discrepent ab invicem.

De